1 - § 31.

5.IV-45-22

ARCHIVO HCO.
PROVINCIAL
DE ZARAGOZA

Nos Maria dei gratia Regina Aragonum Sicilie Valentie Maiorice Sardinie et Corsice Comitissa Barchinone Ducissa Athenarum et Neopatrie ac etiam Comitissa Rossilionis et Ceritanie. Nemini tutius officia comendamus quam quos diu probatos conspicimus. Cum tu fidelis noster Ali de Bellins sarracenus morerie Valentie virtute gratie domini Regis a longo tempore citra fueris et sis alcadi ab eo constitutus in omnibus eius terris citra mare in cuius exercicio boni alcadi nomen assecutus es. Ideo ipsius domini Regis vestigia insequentes tam in moreria ville nostre de Belchit quam in quibuscumque aliis moreriis per nos in dictis regnis et terris quesitis et querendis te eundem Ali de Bellins alcadi ad nostri beneplacitum facimus constituimus et creamus. Itaque amodo quamdiu de nostro beneplacito voluntatis processerit sis tam alcaydi nostri quam Regius ipsiusque alcadi et iudicandi et consulendi officium in dictis moreriis nostris regas teneas et exerceas per te vel substitutum a te ydoneum tamen bene fideliter et legaliter ius et iusticiam subiectis tuo officio tribuendo iuraque et regalias nostras manutenendo et deffendendo ac omnia alia faciendo que ad alcadi officium pertineant et spectent et habeas et recipias ea salaria atque iura que per te et alios alcadis recipi et haberi sunt assueta. Mandantes universis et singulis procuratoribus iusticiis nec non alaminis senibus et aliamis sarracenorum nostrorum predictorum tam futurorum quam presentium ceterisque officialibus et subditis nostris ipsorumque officiis locatis presentibus et futuris quatenus te dictum Ali de Bellins et substitutum a te in et pro alcadi nostro iam dicto recipiant et admittant et habeant tibique et tuis iudiciis subditi tuo officio pareant et obediant ac de salariis et iuribus supradictis tibi vel tuo substituto respondeant et satisfaciant et at presentem nostram cartam teneant firmiter et observent ac teneri et observari faciant inviolabiliter per quoscumque. In cuius rei testimonium presentem fieri et nostro maiori sigillo impendenti iussimus communiri. Datum Barchinone vicesima prima die Iulii anno a nativitate domini millesimo quatrincentesimo trigesimo primo. La Reyna.

Dña Regina mandavit michi Guillelmo Ctro de Vengada.

§ 32.

Maria dei gratia Regina Aragonum Sicilie Valentie Maiorice Sardinie et Corsice Comitissa Barchinone Ducissa Athenarum et Neopatrie ac etiam Comitissa Rossilionis et Ceritanie. Dilectis et fidelibus universis et singulis procuratoribus iusticiis nec non alaminis senibus et aliamis sarracenorum nostrorum tam presentium quam futurorum ceterisque officiis et subditis nostris ipsorumque officiis locatis presentibus et futuris ad quos presentes pervenerint et subscripta pertineant salutem et dilectionem. Quia nos cum carta nostra datum ut infra fidelem nostrum Ali de Bellins sarracenum morerie Valentie tam in moreria ville nostre de Belchit quam in quibuscumque aliis moreriis per nos in regnis et terris domini Regis quesitis et querendis alcadi ad nostri beneplacitum fecimus constituimus et creavimus prout in dicta carta nostra plenius continetur. Dicimus et mandamus vobis quatenus dictum Ali de Bellins et substitutum ab ipso in et pro alcadi nostro iam dicto recipiatis admitatis et habeatis sibique et suis iudiciis pareatis et obediatis ac de salariis et iuribus debitis et consuetis sibi vel suo substituto respondeatis et satisfaciatis et at presentem cartam nostram teneatis et observetis tenerique et observari faciatis inviolabiliter per quoscumque iuxta sui seriem et tenorem. Datum Barchinone vigesima prima die Iulii anno a nativitate domini millesimo quatrincentesimo trigesimo primo. La Reyna.

Idem

Exemplum huius modi binarum provisionum Regiarum sumptum a quodam Regestro serenissime domine Marie divi nominis Regine

Aragonum consortis ser^mi d^ni Alfonsi terii nominis Re
gis Aragonum Comune quarto Intitulato apud Regium
Archivum barg^e reconditio sumpsi ego Anthonius Vila
damor s^e C^at ac Regie fra^tis Scriba et Archivarius eiusq
auctoritate not^s publicus per totam ipsius terram et ditionem s
cribiq feci ac veridica comprobavi. Ut igitur fides
ple^mor ad hibeatur meum quo utor in publicis clau
dendis instru^tis hic appono sig-

num.

Pa.

GOBIERNO DE ARAGON